IOANNIS CAMILLI
ZACCAGNII ROMANI
Oratio Secunda.

DE LAVDIBVS

LEONIS DECIMI
PONT. MAXIMI.

Habita ab eodem, in annuis eiuſdem Pontificis parenta-
libus duodecimo Kal. Februarij M. DC XXII.
in Almo Vrbis Gymnaſio.

AD POTENTISSIMVM

FERDINANDVM II.
MEDICEVM,
Magnum Hetruriæ Ducem V. Sereniſsimum.



ROMÆ, Ex Typographia Iacobi Maſcardi, M. DCXXII.

SVPERIORVM PERMISSV.

8-

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſſimo P. Mag. Sacri Palatij Apoſt.

A. Epiſc. Carin. Viceſg.

Imprimatur, Fr. Ignatius Ciantes Romanus, Reuerendiſſimi P. F. Hyacinthi Petronij Romani Sac. Apoſt. Pal. Mag. Socius, Ordinis Prædic.

SERENISS. ET POTENTISS. FERDINANDO SECVNDO MEDICEO, Magno Hetruriæ Duci Quinto.

IO. CAMILLVS ZACCAGNIVS ROMANVS S. F.

SEQVOR vetus eorum inſtitutum, FERDINANDE, Sereniſſime TVSCORVM Dominator, glorioſa MAGNI DVCIS appellatione digniſſime, & maioribus tuis vt ætate inferior, ſic par meritis & virtute, qui opus aliquod domi natum euulgaturi, eo conſilio Principibus viris potiſſimùm dedicant, vt eidem ſimul patrocinium quærant ac lucem. Ex antiquis iiſque clariſſimis, hoc præſtitere quamplurimi: E quorum numero (vt egregios aliquot habeam) Romanum Manilium recenſebo, qui perelegans illud atque eruditum de rebus Aſtronomicis carmen, Auguſto: Valerium Maximum, qui memorabilia Principum quùm Græcorum tùm Romanorum facta ſimul ac dicta, Tiberio: Plinium, qui æternum illud rerum naturalium opus, Veſpaſiano: deniq; Vegetium, & Prænèſtinum Aelianum, quorum ille rei militaris Epitomen, Valentiniano; hic Hadriano ſuas acies inſcripſit. Sed non eadem omninò quæ illos, me quoq; ratio nunc impulit, vt ea laudum ornamenta, quæ iterum in ampliſſimo hoc Romanæ Sapientiæ theatro, è ſummis Maximi LEONIS tui virtutibus leuiter attigi, tibi modò Iuuenis Florentiſſime dedicarem. Nam, qui de LEONE dixi, aliundè præſidium ac decus orationi meæ quærere non debebam, cum ipſe mihi patrocinium, ipſe mihi lux LEO ſit. Neque enim aliena indiget gloria, qui affatim abundat ſua. Hæc, inquam, vna non fuit ratio (Principum Glorioſiſſime) cur in præſentia tibi præ cæteris Summi LEONIS egregias

laudes, mea hac oratione, quaſi breui quodam compendio concluſas, volens ac libens offerrem, ſed vt, quæ tua ſunt, vni tibi præcipuè atque ex animo exoluerem. Et ſanè, quemadmodum in rebus iſtiuſmodi dedicandis, ij grauius peccant, qui viris nulla præſtantis famæ claritate conſpicuis labores nuncupant ſuos; ſic ij non exigua mihi digni commendatione videntur,qui in ijſdem reddendis,ijs potiſſimùm ad quos iure aliquo pertinent, animorum ſuorum æquitatem oſtendunt. Tua ergo, DVX inclyte, hæreditario quodam iure maiorum tuorum gloria cum ſit, cui nam iuſtius quā tibi LEONIS tui laudes à me redderentur? Ego quidem (Maxime FERDINANDE) vt ingenuè fatear quod ſentio, in ea ſum opinione, vt neminem planè reperiri credam qui litteras profiteatur, adeò rerum præteritarum ignarum, immemorem adeò, adeò ingratum, qui neget, [redacted] ab omnibus litterarum cultoribus MEDICEAE FAMILIAE plurimùm deberi. Quid enim attinet hoc loco recenſere ampliſſima illa MEDICEORVM PRINCIPVM facta, quibus erga honeſtas diſciplinas egregiam voluntatem ſuam teſtati ſunt? Refertiſſima huiuſmodi teſtimonijs hiſtoriarum penè omnium monumenta, ac nunquam interitura, leguntur. Nàm, quo tempore bellorum cuncta fragoribus tumultibuſq; circumtonabant, ac Barbarorum furor per ſummum nefas, non minus in litteratos viros, quam in ipſas litteras deſæuiebat, vna MEDICEORVM Familia reperta eſt (ò rem ſempiterna memoria digniſſimam, & nulla vnquam obliuione delendam) quæ exulantibus diſciplinis, & malè vbique locorum acceptis, ſecuræ libertatis Aſylum patefecit. Omnium primus hoc præſtitit COSMVS ille rariſſimi vir exēpli, quem Patrem Patriæ FLORENTIA dixit. Hic enim (vt poſteris ſuis tàm admirabile documentum relinqueret) nobiliſſima aliquot Græcorum ingenia, quæ (latè ſerpentibus per ipſam Græciam diſciplinarum altricem,& lumen, bellorum incendijs) Turcarum impetus eiecerat, in Italiam cum veniſſent, FLORENTIAE perhumaniter excepit, & fouit. COSMVM, LAVRENTIVS dein imitatus, inter Italorum Principum diſcordias, & formidabiles Italiæ ruinas nihil habuit antiquius,quam vt litteratos viros tueretur, & coleret, humanioribus ipſe litteris, atque in primis Philoſophiæ ſtudijs exculiſſimus. Glorioſa hæc LAVRENTII veſtigia LEO filius (quem ad altiſſimum

Pon-

Pontificiæ dignitatis culmen virtus euexit) ſubindè ſecutus , honeſtiſſimas artes ſupra modum illuſtrauit , & doctos viros inaudita penè liberalitate proſecutus eſt . Secundùm, hos, conſequentibus annis, quotquot vnquam ad hanc vſque ætatem noſtram floruere MEDICEI PRINCIPES, bonas litteras & ingenia, ſumma cum gloria ſemper extulerunt . Inter quos Auus ille tuus glorioſiſſimus FERDINANDVS (quem tu quemadmodum refers nomine , ſic virtutibus exprimis) meritò numerandus eſt , qui erga viros varia diuerſarum diſciplinarum eruditione præſtantes, nimium quãtum munificus fuit. Iam verò quid de COSMO Patre tuo quem ſemper omnis ætas admirabitur, commemorabo ? Proh quantum bonæ artes è præmaturo tam eximij principis interitu detrimentum ſuſceperunt ?

Non illo melior quiſquam , nec amantior æqui
Vir fuit :

Quo fit , vt minimè dubitandum videatur , quin ijſdem tu quoque maiorum tuorum veſtigijs inſiſtens , litterarum ſtudia , non minus amore, quam ea (quæ MEDICEORVM PRINCIPVM peculiaris eſt) liberalitate ſemper proſecuturus ſis . Quid enim Sereniſſime Adoleſcens , mores lectiſſimi , quibus regius ille tuus animus (veluti ſideribus cœlum) illuminatur , præſeferunt aliud, quam eximium quoddam altæ nobilitatis indicium ? Quin immò te , vel tua ipſa nobilitate, virtus qua præmaturè fulges maiorem facit . O qualem ergo te ſperamus D V X ampliſsime in ipſo (vt ſic loquar) ætatis tuæ meridie , quando vel in hac annorum tuorum Aurora , tam inſignia prælucent argumenta virtutis ? Aemulaberis ſcilicet hac vna in re maiores tuos , atque ipſum præ cæteris COSMVM parentem præſtantiſsimum,ſic prorſus vt HETRVRIA te ingenti non minus amore proſecutura, quam ſummis ſit etiam laudibus admiratura . Quid enim Principi ſalutarius, quid ad memoriam poſterorum glorioſius , quam vt ab hoſtibus timeri , ſic à ſuis amari ? Hoc vniuerſa teſtatur HETRVRIA, ipſi Florentini Ciues teſtantur , qui COSMI Parentis tui .

Iuſtiſſimus vnus :
Qui fuit in TVSCIS,& ſeruantiſſimus æqui ,

Nullum non ſolum prædicandi , ſed etiam deplorandi modum inuenire

nire

nire poſſunt. Qui tamen, hoc vno nomine ad extremum ſolantur calamitatem ſuam, tantamque ac tam acerbam OPTIMI PRINCIPIS iacturam æquius ferunt, quod te non minus paternæ nobilitatis,& potentiæ, quam clementiæ, iuſtitiæ, liberalitatis ac religionis hæredem nunc principem habent, qui florentiſſimam HETRVRIAE ditionem.

Imperio regis vnus æquo.

Vt videlicet,quantum detrimenti è Magni Parentis obitu ceperunt, alterum tantum lucri, te regnante, reſarcire videantur. Accipe igitur, MEDICEI ſanguinis Proles Inclyta, Magnique Patris dulce tuis atque amabile ſimulacrum, Maximi L E O N I S tui laudes ampliſſimas à me adumbratas verius quam expreſſas: & glorioſam Pont. Optimi (qui MEDICEAE non ſolum felicitatis fundator, ſed etiam gloriæ reſtitutor fuit) dum hìc memoriam renouatam vides, in eius gloria, tuam etiam intuère, & ſingularem in ipſo munere meam erga te obſeruantiam agnoſce. Faciat interim te Deus annorum diuturnitate felicem,& Matrem tuam Auamque fœminas ſapientiſſimas animæ dimidium tuæ, diutiſſimè ſeruet incolumes. Hoc enim(dum viuam)tibi precabor, hoc (PRINCEPS MAGNE) votum ſemper erit meum, & ingenioſiſsimi Poetæ illud perpetuò pronunciabo.

At tibi D V X æuo detur fortiſsime noſtro
Semper honorata ſceptra tenere manu.

FRANCISCI GAGLIARDI
ROMANI I. V. D.
ODE
AD IOANNEM CAMILLVM Zaccagnium Romanum.

CAMILLE, quales eloquij tuis
Amnes recludas fontibus vberes,
Scit noſtra Mundi ROMA mater,
Quæ toties tibi pandit aures.
Scit potor Iſtri, quique Lycormatis
Humectat vndis labra fugacibus;
Scit flauus vncto crine Gallus,
Quique Tagi natat inter aurum.
Scit quiſquis Arces DARDANIAS ſubit
Ardens latinæ Palladis artibus
Imbutus, & dignus vereri
In patrios remeare fines.
Nec FLORA neſcit. Scilicet auſpice
Aura tenelli Principis, impia
Nulli ſecundus tela linguæ,
Maior & inuidia repellis.
Scit ipſe Ciuis, cui toties, velut
Paternus amnis, littora quem ſuper
Florum Tyrannus nutrit imber,
Ore ruens, animos ligaſti.
Immenſa virtus eſt tibi: dulcia
Quando ſolutis vincula vocibus,
(Quod quiſque miratur) miniſtras
Auribus, imperiumque cordi.
Sic ore nexus Herculis aureos
Pendere credam, fabula quem refert
Emancipatos eloquendo
Sponte ſua trahere audientes.
Nam ſeu Tubarum, ſeu litui ſonum
Deſcribis, horret quiſquis adeſt metu.
Iam iamque pugnaturus, hoſtes
Eſſe putat propè præliantes.
Si picta vernis compita floribus,
Lectura calthам, ſeu breue Lilium
Se dextra tollit; Si cadentem
Fontis aquam, cupit illa mergi.
Si dura defles funera Principum,
Mors ipſa, quamuis illachrymabilis,
Tecum, tepentes mœſta guttas
E gelido iaculatur ore.
Teſtatur ingens ſpiritus indolis,
Si quando per te TERGEMINO LEO
Non vltimus fulgens galero,
Bis reſerat rediuiuus vrnam,
Ceu ſolis Ales aurea, Singulis
Annis renaſcens, DARDANA ROMVLI
Quæ iuſta perſoluit Iuuentus
Sume diu, cinis ò verende;
Nec vlla poſthac cura remordeat:
Nam qui ſepulcro ſuppoſitus iacet
Amicus ignis, quo calebat
Nuda fides, inopumque virtus,
Faces Auito iure ſuperbiens
Alit perennes: Aula potentior
Qua floret, impubis ſenili
Imperio famulans Nepotis.
Et iam relicto Theſpiadum Lacu,
Ludunt Sorores per nemorum ſinus,
Qua diues in peſſum redundans
ARNVS aqua trepidat loquaci.
Quin propter vndas dulce canentibus
Paſſim ſuperbit littus oloribus;
Qualiſque Mæandri recurrit
Sæpe ſono reuocatus humor.
Audire geſtit ſcilicet inclytos
Redire Patres, atque Atauos ſuum
Heroa creſcentem feroces
Intrepido renouare vultu.
Audire geſtit qualia prodigo
Doctis manipulo munera frontibus
Miniſtret indefeſſus, & quòd
Hoſtibus excidium minetur.

En

En creſcit annis T H R E I C I Æ metus
Strageſque L V N Æ . Credite Poſteri .
Iam iamque vero fluctuare
Boſphorus in gemitu paratur .
Iam ponit iras trux Vtica furor ,
Septem nec audet Puppibus æquora
Arare , nec dulci rapina
Spe trahitur, nec amore prædæ .
At ò quod horrens nunc mihi claſſicum
Perſtringit aures ? Quæ mihi matribus ,
Sponſiſque deteſtata , acuto
Arma oculos feriunt nitore ?
Quid inſolenti marmora murmure
Strepunt ? Quid antris vox iterabilis
Reſponſat ? HETRVSCOS , HETRVSCOS
THRACES , IO , trepidare diſcunt .
O F L O R A : Pubes ſcilicet hoſtium
Excſa niſus , purpureo Crucis
Honore durum cincta pectus ;
Aere velut triplici ; profundum
Multa fatigat puppe, domabile
Non ante , & inter ſyrtibus aſperos
Sinus , & inſidè latentes
Claſſe tuta ſcopulos pererrat .
O quiſque verſis Parthe Iugalibus ,
Verſaque Pinu , littora plumbeo
Miraris Auſtro exercitata ,
Parce fugam ſimulare : veros
Tibi pauores incutit inclytum
Vbique nomen M E D I C E Æ Domus :
Tuum illa flagrans vt cruorem
Non ne vides ſitiat ? Quid vrges ?
Lunata tecum quid trahis agmina ?
Et quid pharetris, & quid Acinace,
Quid turbinata ambage veli
Terga , latus premis , & capillos ?
Mox , mox auara diuitias aquæ
Addes, & æquor ſanguine turgidum
Mox decolorabis , tuiſque
Alta cadaueribus tumeſcent .
Ah te quis, amens , quò rapit impetus ?
Globoſa te nil ſtemmata territant ,
Si quando turres , aut carinas
Aere cauo toties ſalutant ?
Nil ira magni te S T E P H A N I mouet ?
Nil te Iuuentus cedere neſcia ,
Pacemque dedignata terret
Paſta Ducum, necdum uſque Regum ?
Pugnare certa eſt T H R A C I A . Scilicet
Ferocieri claſſe ſuperbior
Accedit ; & latè profundum
Veliuolis agitat carinis .
Et iam recuruis firmiter anchoris
Naui tenetur nauis , & hoſtibus
Hoſtes inhærent ; iam ſagittæ
Deficiunt , gladijque pugnant .
Cruore fuſo iam mare fluctuat ,
Pluitque purum ſanguis in æthera ,
Et prata Nerei denſa malis
Caucaſeum nemus æmulantur .
Perge ira, perge, & Thracius occidat
Tandem Tyrannus , funere ſoſpitum
Ratem nec vnam , ſigna cladis ,
Reſpiciat penetrare portum .
Sed hæc proteruas haud citharas decent ,
Tantum nec audet pauperies lyræ :
Quo maior acceſſus fit aſtris ,
Fit grauior fragor inruendo .
Teſtis paternas per liquidum aera
Auſus quadrigas flectere , neſcius
Equos reluctantes habenæ ,
Indocili cohibere dextra .
Qui dum propinquis cuncta iugalibus
Terrarum adurit, templaque Numinum ,
Tonantis ira funeratus ,
Igne necem , tumulumque pura .
Inuenit vnda Principis amnium :
Hinc littoralis cortice Populi
Fratris ſorores occupatæ ,
Magnanimos lachrymantur auſus .
Exempla præbet Dædaleus puer ,
Qui patre, demens, dum melior cupit
Pennis videri, cera tabet ,
Et vitreis tumulatur vndis .
Conuexa tandem tecta volubilis
Cœli , ſonanti Pegaſus vngula
Expertus , in præceps dedit ſe
Bellerophontem Equitem grauatus .
Cui dictus aptè Mars adamantinis
Indutus armis ? cui vagus Hercules ?
Cui natus Anchyſa, vel Aegis
Sicaniæ labor officinæ ?

EIVS-

EIVSDEM EPIGRAMMA AD EVNDEM.

ROMA tuis toties dictis lenita, CAMILLE,
Quàm ſtupet antiquas res variaſſe vices?
Namque tua vitam extinctis dant fulmina linguæ,
Noxia quæque prius diſplicuere, iuuant.

Aliud eiuſdem Epigramma ad eundem.

QVI ſilices, docuitque chely molleſcere quercus,
Flectere qui nequijt Mænades Hebre tuas,
Coniugis amplexus iterùm plorauit ademptæ
Exoſus viduæ pondus inane lyræ.
Tu tamen hoc melior lachrymis cantuque, LEONIS
Funera dulcè gemis, dulcè Camille canis.
Scilicet EVRYDICE ſtygias remeauit ad vmbras,
Amplius hic auras non moriturus init.

OCTAVII TRONSARELLI ROMANI
AD SERENISSIMVM
FERDINANDVM SECVNDVM
Magnum HETRVRIÆ Ducem.

EPIGRAMMA.

FERDINANDE, tuo qui ſolùm nomine gaudes
Vt metus eſſe hoſti, ſic amor eſſe tuis.
Accipe ſumme DVCVM, latio quæ culta nitore
Inclyta MEDICEI geſta LEONIS habent.
Inſpice tàm magni generoſa exempla Parentis,
Atque tuum in priſco noſce LEONE genus.
FERDINANDE tui meritum qui ſanguinis auges,
Sceptraque magnanimis Regibus æqua moues:
Et pariter gaude qui grandia facta tuorum
Non tàm mirari, quàm ſuperare potes.
Tellus namque, tuo quot cernit germine natos,
Tot dominos eadem ſentit adeſſe ſibi

AVGVSTINI ALBINI ROMANI I. V. D.
AD
IOANNEM CAMILLVM ZACCAGNIVM
Romanum Nepotem ſuum.

EPIGRAMMA.

QVOS tenero FLORAE ſub MAECENATE, Camille
Ingenij partus DARDANA ROMA videt;
Et queis magnanimo perſoluis iuſta LEONI
Prodiga cui doctos paſcere cura fuit;
Quam benè præſidio tanti ſe PRINCIPIS addunt?
Fulgurat hic armis, & tua lingua ſono.

IO. CAMILLI ZACCAGNII ROMANI De laudibus LEONIS X. Pont. Max.

Oratio Secunda.

METELLVS Romanorum fortiſſimus idemque fortunatiſſimus Imperator (PP. ampliſſimi) Plinius author eſt, flos ille ingeniorum arcanorumque Naturæ contemplator eximius, olim dum viueret, quamplurima eaque maxima in votis habuiſſe memoratur. Sed illud in primis exoptaſſe dicitur, vt (cum ſummum ſe in Romana Republica Senatorem, ſumma inter ciues authoritate, ſummum in bello ducem eſſe cognoſceret) ſummus quoque, nullique ſui temporis ſecundus orator, & eſſet & haberetur. Felix profectò ac propemodùm immortalitate digniſſimus, quippe qui armorum præſtantiam, qua clariſſimus ſemper fuit, cumulatè adeò cum eloquentia coniunxit, vt nullus eo tempore, vel bellandi peritia præſtantior habitus ſit, vel eloquentiæ laude glorioſior. Vellem PP. vt eiuſdem nunc ego quoque voti compos fierem, qui in aurea iſta ſapientiæ veſtræ luce, quæ meritò clariſſimum quemque poſtularet oratorem, LEONEM X. Pont. omni ſæculorum memòria prædicandum laudaturus ſum: virum, omnium ſanè qui vnquam fuerunt è MEDICEA familia, ſummorum hominum, maximorumque Principum altrice nobiliſſimum, & nulli præteritorum Pontificum non æquandum. Et verò cum aliàs veſtrò PP. imperio, ex hoc eodem loco, vobis quoque præſentibus LEONIS laudes recenſuerim (annus namque ſextus eſt, & facilè memorare poteſtis,) ac tenuitatis dein conſcius in dicendo meæ, identidem, mecum animo reputauerim, quàm tùm:

Periculoſa plenum opus aleæ

Suſcepiſſem; committendum ſanè mihi modò non erat, vt in idem iterùm diſcrimen adducerer, cum non ignorarem de LEONE ſilere ſatius eſſe, quàm eximias eiuſdem virtutes ieiunè tractare. Ac me quidem (ſi vnquam alius) certè Hieronymi viri ſanctiſſimi grauis authoritas deterrere ab hoc onere debuiſſet: qui (vt cætera) Sic illud quoque pronunciauit appoſitè, cum alloquens Heliodorum ait: Grandes materias ingenia parua non ſuſtinent, & in ipſo conatu, vltra vires auſa, ſuccumbunt. Sed quandò libentius nihil (quæ veſtra eſt erga officioſiſſimum Principem pietas) quam glorioſum LEONIS nomen auditis, vobis denuò iubentibus repugnare non, debui: Xenophontem illum Socraticum imitatus, qui tametſi Ageſilai viri ſummi laudibus celebrandis imparem ſe cognoſceret, impoſitum ſibi tamen dicendi onus non recuſauit. Magna ſanè rerum benè geſtarum merces eſt, optima laudatio: Sic prorſus Audd. vt non immeritò Plinius ille magni Patrui maximus Nepos Virginium Rufum, vel in obitu fortunatum dixerit, quòd in funere Cornelium Tacitum, præconem laudum ſuarum habuiſſet, vt eius felicitati cumulus accederet laudator eloquentiſſimus. Quod abſolutæ felicitatis exemplum ſuperioribus menſibus omnes renouatum vidimus, cum, ſumma cunctorum acclamatione, ac Roma ipſa admirante, * à viro quantùm eſt virorum doctiſſimo atque eloquentiſſimo, Cardinalis ille quem ſemper Lugebimus, ſemper admirabimur, laudatus eſt in publico funere. BELLARMINVS. Huiuſmodi verò gloria quę ab oratoris nobilitate proficiſcitur, hodierna luce, me dicente, careat LEO neceſſe eſt. Sed vt ſit, illum demùm, LEONIS amplitudini peculiare erit, quod nullum vnquam inuenire poſſit Oratorem, de ſe pro dignitate differentem. Proprium namque maximorum Principum illud eſt, vt eorum virtutes, quemadmodum multum laudatæ non creſcunt, ſic parum laudatæ non minuantur. Ergò de LEONE dicturo mihi, in ipſo orationis meæ

* *Tarquinius Gallutius Sabinus E. S. I. præceptor meus, vir ſummus, Robertũ Bellarminum Politianum S. R. E. Cardinalẽ in eius funere laudauit, Romæ in Templo Domus Profeſſæ*

eiuſdem Societatis Idibus Octobris M. DC XXI.

quaſi veſtibulo, multa eaque ſic nobilia ſe ingerunt exornanda, vt, ne leuiter quidem ea adumbrare dicendo poſſim, quæ vix exprimeret par illud Oratorum præſtantiſſimum, quorum vni nihil addi, alteri nihil demi poſſe, diſertiſſimus olim dicendi magiſter pronunciauit. Hic videlicet PP. LEO ille eſt:

Sidonius Apollinaris in Panegyrico quē Romæ dixit Anthemio Auguſto bis Conſuli.

,, *Cui priſca propago*
,, *Auguſtis venit à Proauis, quem dicere digno*
,, *Non datur eloquio, nec ſi modo ſurgat Auerno*
,, *Qui cantu flexit ſcopulos, digitiſque canoris*
,, *Impulit auritas ad plectrum currere ſyluas.*

Sed nihil hic ego (dum LEONIS præclera facinora relegam) de MEDICEA familia dicam, qua quid nobilius Audd? nihil de Patriæ claritate, qua quid pulchrius? nihil de Dignitate qua fulſit, qua quid ſublimius? Trita namque ſunt iſthæc Rhetorum argumenta:

,, *Et maribus curijs, & decantata Camillis*

(vt cum Romano Pindaro loquar) qui, cum nihil habeant quod prædicent de ijs quos exornandos ſuſcipiunt, ad fumoſas maiorum imagines & facta ſe conferunt. Miſera ſanè eiuſmodi hominum conditio Audd. qui (cum luce tantum luceant aliena) ſine ſuorum laudibus laudari non poſſunt. Non hæc LEONI impoſita neceſſitas eſt: cuius animum ità Deus Arbiter & ratio Naturæ conſummatæ felicitatis dote ſociata cumulauerunt: vt (licet auita nobilitate clariſſimus eſſet) propria tamen meritorum poſſeſſione longè clarior fuerit. Huius ego Pontificis Audd. varias hinc indè virtutes delibabo, quarum flores ideò ſeligam, vt ex ijs, velut Apis, fauum gloriæ conficiam; quem vobis eo conſilio deguſtandum proponam, vt apertè cognoſcatis, LEONEM verè nobilitatis partes omnes expleſſe feliciter, familiæ ornamenti plurimum addidiſſe, & LAVRENTIVM parentem in omni virtutum genere æmulatum eſſe glorioſè, & eundem in litteris fouendis propagandiſque diſciplinis longè ſuperaſſe. Nec patientiam in audiendo veſtram à vobis Audd. efflagitabo, quã ſi minus dicentis authoritas, ipſum certè nomen Optimi Principis impetrabit.

Sidon. Apoll. lib. 1. Ep. 2.

Qui de nobilitate litteris conſignata monumenta poſteritati reliquerunt, diuersè illam partiti ſunt, diuerſiſque nominibus appellarunt, ſic prorſus vt inter ſe opinionum varietate digladiari viſi ſint. Libet hic Philoſophorum aliquot eorumque clariſſimorum de nobilitate repetere placita, vt indè intelligamus, quam præ cæteris nobilitatis formam ſecutus ſit LEO, quam potiſſimùm expreſſerit. A Stoicis auſpicemur, qui nobilitatem, ſplendorem quendam eſſe contendebant, non aliundè quam ex propria virtute prouenientem: cui quidem, omnis generoſitatis palmam tribuendam eſſe cenſebant. Secundum hos Philoſophorum princeps Ariſt. ſententiam ſuam de nobilitate protulit, Stoicis admodum repugnantem nec omninò Ariſt. dignam. Nam in eo quod de Republica edidit opere, illos tantùm nobiles eſſe dixit, quorum maiores virtute, & diuitijs aliquando floruiſſent. Quæ quidem ſententia multis obnoxia difficultatibus eſt, quas nunc in medium proferre, mihi laborioſum, vobis, opinor, moleſtiſſimum eſſet. Plato demùm cognomento diuinus Ariſtotele melius, nobilitatem in quatuor genera diſpertiuit: Primum, ijs qui claris iuſtiſque parentibus orti ſint; ijs alterum, quorum parentes aliquando principes extiterint: tertium ijs, quorum maiores rebus olim bello præclarè geſtis claruerint; ijs denique poſtremum adſcribens, qui præclara aliqua doctrina, & animi magnitudine excellant, quos Philoſophus verè nobiles ex ſententia Stoicorum appellat, ac cæteris omnibus anteponit. Atque hos ipſe etiam Ariſtoteles (Platonem præceptorum hac in re deinde ſecutus, quaſi à prima illa opinione recederet) nobiles tandem exiſtimauit, veram in ſola virtute nobilitatem collocans Audd. Hanc ergo poſtremam, vt pote nobiliorem nobilitatis partem, tu LEO ſic feliciter expreſſiſti, vt maiorum laudibus, tuis virtutibus multum dignitatis adieceris, & illorum faſces & trabeas, non anguſtos veluti gloriæ tuæ limites conſtitueris, ſed, ad maiora tibi honorum decora paranda, glorioſas quaſi tædas, atque incitamenta eſſe volueris.

ſueris. Sic prorſus, vt Poetæ illud de te meritò dici poſſit:

„ *Te haud vnquam in altum generis euexit decus* -- cũ videlicet morũ nobilitate, genus ipſum ſuperaueris. Etenim PP. cum ad celſiſſimum rerum humanarum culmen LEO meritorum gradibus aſcendiſſet, in eo (quod raro contingit) ſummæ dignitati ſumma ſapientia iuncta fuit, quo eiuſdem gloria cumulatior eſſet in omnẽ poſteritatem. Et ſanè quidquid vnquam aut egit aut cogitauit LEO, fuit vndique honeſtum adeò, adeò pulchrum & admirabile, vt illud liberè auſim affirmare, poſſe eum cum præſtantiſſimo quoque in omni virtutum genere conferri: qui licet purpura inſignitus, in ampliſſimo maieſtatis faſtigio fulgeret, nobiliſſimum tamen illum animum, virtutum pulcherrimarum paludamento conueſtituit. Sed ipſam LEONIS adoleſcentiam paulisper intueamur Audd. vt quam ſapienter ac ſplendide prima virtutum ſuarum fundamenta iecerit liquidò cognoſcamus. Quis autem illa non optima fuiſſe inficiabitur, quæ futuræ LEONI fuerunt elementa felicitatis? Magnum profectò Naturæ beneficium eſt, magno Parente naſci, à quo non minus quis claritatem ſanguinis, quam ipſam ad virtutes indolem hauriat. Nam, (vt optimè cecinit olim.

„ *Romanæ fidicen Lyræ*)
„ *Fortes creantur fortibus, & bonis:*
„ *Eſt in iuuencis, eſt in equis, patrum*
„ *Virtus, nec imbellem feroces*
„ *Progenerant Aquilæ Columbam.*

Quod cum ita ſit, non admodum mirari debemus è LAVRENTIO, viro litterarum cultore ſummo, & Poeta cum primis egregio, LEONEM filium litterarum, propagatorem maximum, & Poetam admirabilem ortum eſſe. MEDICEORVM PRINCIPVM ea ſemper potiſſima cura fuit, vt filios ſuos liberalibus diſciplinis imbuendos curarent. Quamobrem non ſolum viros litteratiſſimos adamabant, ſed iiſdem quoque filios erudiendos tradebant, vt eos nimirum duplici quaſi cenſu ditarent, & claritate generis, & virtutis. Vidit ſanè quam Reip. ſalutare, quam familiæ glorioſum hoc eſſet COSMVS ille princeps prudentiſſimus, ac nunquam interiturus: ideò Ioannem Argyropylum (qui tùm cum Otomannicis armis Græcia quateretur, patria pulſus, FLORENTIAM fortè ſe receperat) humaniſſimè (quod proprium CLARISSIMAE illius FAMILIAE ſemper fuit) non ſolum excepit, ſed eius viri virtutem eximiam ſic impensè coluit, vt PETRO filio nepotique LAVRENTIO præceptor ab eo datus ſit. Memor itaque LAVRENTIVS quantum ſub Argyropylo profeciſſet, non committendum ſibi putauit, vt LEONI filio in re tam præcipua ac propemodum neceſſaria deeſſet. Nec exempla clariſſimorum hominum huiuſmodi in re deſiderabat LAVRENTIVS. Nam (vt erat eruditiſſimus) non ignorabat, idem planè Marci Tullij ſtudium fuiſſe, qui Marcum filium Athenas olim miſiſſet vt Cratippum audiret, & Philippi Macedonum Regis, qui Alexandrum Ariſtoteli tradidiſſet, cuius tempore quod ſibi filium naſci contigiſſet, admodùm gloriabatur. Illud etiam ſecum animo reputabat LAVRENTIVS, quàm docti, quàm ſapientes olìm euaſiſſent, ſub Poſſidonio Marcus ipſe Tullius Cicero, ſub Plutarcho Traianus qui optimus dein dictus eſt, ſub Platone ingeniorum apex Ariſtoteles, ſub Socrate Plato, ſub Lactantio Conſtantius Cæſar, demùm ſub Seneca Nero, præceptori ſummo diſcipulus ingratiſſimus. Id quod cauſæ fuit, vt LEONEM quoque politioribus litteris informandum, & Græcè Latineque erudiendum, viro alicui grauiſſimo, ac diſertiſſimo daret. Sed cui nam potiſſimùm putatis Audd. LEONEM à LAVRENTIO traditum? Vni nimirum Angelo Politiano litteratorum ſui temporis ornamento. Hic videlicet ille Politianus fuit, Italorum omnium longè politiſſimus, in ipſo Gratiarum ſinu Muſarum lacte feliciter enutritus, ingenio ſummus, eloquentia ſingularis, oratione candidus, eruditione mirus, antiquis par, omnibus ſuæ tempeſtatis doctrina ſuperior, quem HETRVRIA, maximorum ſemper ingeniorum parens, extulit, Italia ſuum veluti lumen admiratur. O felicem tanto præcepto-

Angelus Cinus vulgò Politianus.

re LEONEM, ò fortunatum tam eximio diſcipulo Politianum: qui cum admirabile, tametſi præcox LEONIS ingenium animaduertiſſet, perenni illo atque inexhauſto doctrinæ ſuæ fonte adoleſcentis optimi animum irrigauit vberrimè, & adeò diligenter excoluit, vt (cum Græcam Latinamque linguam optimè didiciſſet, & non minus eleganter loqueretur quam ornatè ſcriberet) tantam adoleſcentis ingenij felicitatem ſæpiſſimè ſuſpiceret Politianus, qui non minus vno LEONE, quam olim vno Platone Socrates gloriabatur. Quo fit vt minimè mirari debeamus, ſi conſecutis deinde temporibus, litterarum ſtudia, ipſoſque litteratos viros tantoperè LEO amore proſequeretur ac Muſas præ cæteris enixè adeò coleret, vt, cum omnia penè tunc poſſet, ijſdem quidquid potuit fecerit, & quidquid ijs fecit etiam voluerit. Sed non hic ſtetit LAVRENTII cura erga filium præſtantiſſimum: quin immò, cum eum liberaliter iam excultum, & expolitum è Politiani diſciplina recepiſſet vt legum ſtudijs (ſine quibus recta Reipublicæ adminiſtratio geri nequit) initiaretur, SENAS vrbem florentiſſimam iuſſit LEONEM adire LAVRENTIVS: vt pote qui monitum illud Iſocratis in ea quam ad Demonicum parænesi ſcripſerat, memoria quam ſæpiſſimè repeteret. Enimuerò Demonicum in hunc ferè modum Iſocrates admonet.

„ Iter non pigeat lòngum facere ad eos qui conducibile aliquid docere profitētur. Turpe nanque fuerit Mercatores tanta tranſire maria quò cumulatiores ſuas opes efficiant, adoleſcentes verò ne terra quidem ſuſtinere aliquò proficiſci quatenus mentem ſuam meliorem faciant. — Senis ergo, ita iuris vtriuſque ſcientiam optimorũ ope præceptorũ perdidicit LEO, vt ampliſſima deindè legationũ munera, quibus ab INNOCENTIO eius nominis VIII. (à quo etiã Sacra purpura decoratus fuerat) ab ALEXANDRO VI. & IVLIO II. Summis Pontificibus, ſummo cum Imperio præfectus fuit, quæque LEO præclariſſimè geſſit, apertè ſatis oſtenderent, illum non minus ad litteras excolendas, quam ad ciuitatum adminiſtrationem, ac propè ad imperandum natum fuiſſe. Iam verò quicquid olim LEO geſſerit, quæ nam vitæ diſcrimina ſubierit, quos labores difficultate pleniſſimos, quot cæcos aduerſæ fortunæ furores, & præſenti animo tulerit, & egregia virtute ſuperauerit, antequam ad ſacroſanctum illud Pontificiæ maieſtatis culmen aſcenderet, non hic ego recenſebo PP. quandoquidem huiuſmodi rebus, hiſtoriarum monumenta refertiſſima ſunt, & ea ſingillatim percurrere non minus mihi longum, quam vobis ingratum eſſet Audd. qui LEONIS laudes ac virtutes libentius, quam duros eiuſdem periculoſoſque labores auditis. Quod ſi Demetrij Regis vox illa meritò celebratur, ac prorſus rege digna cenſetur, qua olim pronunciauit, nihil eo infelicius eſſe poſſe, cui nunquam aduerſi quidquam euenerit; quis hebes adeò ſit, ac rerum humanarum tam imperitus æſtimator, vt non videat, quàm ex hoc quoque capite LEONIS gloriæ magna fiat acceſſio, quàm ingens in eum redundet nominis immortalitas, dummodò (quæ omnes planè nouerunt) acerba illa calamitatum vulnera recordetur, quæ olim MEDICEAE Familiæ, atque in primis LEONI formidabiles FLORENTINAE REIPVBLICAE tumultus, ciuiumque diſcordiæ penitùs exitiales inflixère? Nam prætterquam quod innumerabilia penè LEONI incommoda pepererunt, omnium longè maximum atque acerbiſſimum illud fuit, quod eum duodeuiginti annorum ſpatio, ab eadem in qua natus eſſet ciuitate (quæque tot illius ac toties admirata fuiſſet ſplendidiſſimæ documenta virtutis) extorrem viuere coegerunt. Ad quod infortunium ſanè grauiſſimum, cumulus tùm demùm infelicitatis acceſſit, cum (IVLII II. in bello Rauennati Legatus) in ea clade memorabili captus à Gallis, inexplebilem debacchantis in eum fortunæ ſitim expleuit. Non igitur ex Demetrij iudicio infelix dicendus eſt LEO quòd nunquam infelix fuerit Audd. Sed potius fortunatus, quòd illi infelicem eſſe aliquandò contigerit. Verum antiqua LEONIS decora intuenti mihi, atque animo reputanti, haud mediocri dignum admiratione videtur id, quod verè vnicum fuit, & vni tantùm LEONI (quod ſciam) ad illa vſque tempora conceſſum diuinitùs. Euoluite (ſi libet) ſacros Pontificum annales, hiſtorias percurrite quotquot extant, nunquam inuenietis ex infinito penè Cardinalium

nume-

numero, ab aliquo Pontifice LEONE iuniorem quempiam, fuiſſe olim Romana purpura decoratum; nec vllum eodem LEONE á Cardinalium cœtu, iuniorem fuiſſe Pontificem renunciatum. Et ſanè non aliam ob cauſam ab INNOCENTIO Pontifice ſapientiſsimo factum reor, vt LEONEM, annum tunc vix quartum decimum attingentem, in Cardinalium numerum cooptaret, niſi vt eiuſmodi exemplo declararet, illum ad ſacræ purpuræ ſplendorem, virtute prius quam annis maturuiſſe: nec alia quoque ratione, Cardinalium Senatum eundem LEONEM VII. ſupra trigeſimum annum ingreſſum Pontificem conclamaſſe crediderim, niſi vt oſtenderent omnibus, illum quidem (ſi ætatem inſpicerent) celerrimè, ſi merita ad eam dignitatem tardiſsimè perueniſſe. Et quidem in eo ſupremę maieſtatis culmine ſic vixit, ſic imperauit LEO, vt non ſolum is verè fuerit, qui ab omnibus habitus eſſet, ſed ipſius Pontificię dignitatis decus, & planè AVGVSTVS alter extiterit ſæculi ſui. Verùm enimuero PP. illud velim non ignoretis, me (licet huc vſque de LEONE magna dixerim) de illo maiora tamen tacuiſſe: quę certè non ignorabitis, modò quam á vobis in ipſo meæ orationis exordio patientiam in audiendo poſtulaui, in reliquis etiã quæ de LEONE dicturus ſum, eandem mihi non denegetis.

Igitur IVLIO è viuis ſublato (SECVNDVM intelligo PP. cuius gloriam nulla vnquam obſcurabit obliuio, ſed omnis poſteritas admirabitur) LEO Purpuratorũ cunctorum ſuffragatione ſucceſsit. Profectò digniſsimus (vt cum Sidonio loquar) tanto prædeceſſore ſucceſſor. At, quanta, Deus immortalis, Romanæ Ciuitatis lętitia, quàm fauſtis populorum omnium acclamationibus, quo Principum plauſu exceptus eſt? Sic vnanimi Medorum conſenſu Deiocem fuiſſe Regem conclamatum tradit Herodotus, cuius in dijudicandis popularium controuerſijs incorruptam æquitatem antea cognouiſſent: Sic olim Numam Pompilium, virum (vt ea ferebant tempora) religioſum, & æqui ſeruantiſsimum, è finitimis Sabinis accitum, Romanos Secundum a Romulo Regem renunciaſſe, Liuius author eſt: Sic Tarquinium illum Priſcum, Romanorum quoque omnium votis, Regem ſalutatum teſtantur hiſtoriæ: ſic demùm delapſum è Cœlo Palladium, exceptum olim referunt fabulæ. Hiſtoriam potius benè longam intexerem, quàm Panegyricum per breuem adornarem, ſi ſingulis quæ LEO poſt adeptam Pontificatus dignitatem geſsit, immorari vellem. Non hic ego propterea commemorabo PP. quàm inter Chriſtianos Principes pacis componendæ ſtudioſus eſſet: quàm Eccleſiaſticæ dominationis propagandæ incredibili cupiditate raperetur: quàm validè ab inſultantium impetu barbarorum Italiæ Principes tueretur: quàm fortiter, partas aliorum Pontificum virtute Eccleſiaſtico Imperio ciuitates conſeruaret; quàm ſtabiliendi Catholica dogmata Conciliorum celebratione cupidus eſſet: quàm ſollicitus, & anxius in extinguendis hæreticæ prauitatis incendijs, quæ in Germaniam propè vniuerſam inuexerat Lutherus ille Catholicæ Romanęque Religionis deſertor infamis, lues humani generis, è ſempiternæ noctis latebris egreſsus ad fœdandam ore illo impuriſſimo authoritatis Pontificiæ lucem de Patre luminum Deo hauſtam: quàm ardenti animo Chriſtianos Princeps hortaretur vt (ad exterminandum Turcarum Tyrannum) arma ſuſciperent, & mutuo ſe fędere colligarent: non hæc, inquam, commemorabo PP. quę (tametſi magna fuerunt) LEONI tamen cum alijs quoque quamplurimis communia fortaſſe fuerunt; Sed eius eximiæ liberalitatis, clementiæ propè ſingularis, & perpetuæ erga bonarum ſtudia litterarum voluntatis, exempla praſtantiſſima vobis oſtendam, quibus omnes omninò ſuorum temporum Principes ſine controuerſia ſuperauit, & tam ſibi gloriam peperit, quæ (vt à cunctis admirationem) ſic à nobis meritò anniuerſariæ tributum laudationis exigit Audd. Itaque cum eò dignitatis, & potentię perueniſſet vnde humana conditio progredi non poteſt vlterius, vt, quicquid olim cogitatione molitus eſset, re ipſa tandem exequeretur, regiam illam animi ſui nobilitatem, non alio quam LEONIS nomine declarauit. Et merito PP. Qua enim vnquam appellatione ſplendidiori, maximorum mens illa operum machinatrix ab eo exprimi potuiſset? Nam, licet ſibi ſingularium rerum argumenta peragenda propoſuiſset

LEO,

LEO, tamen Pontificatus ſui gloriam à liberalitate maluit auſpicari: cuius certè documentum dedit ingens, glorioſum, inauditum, vno verbo MEDICEVM, cum (ad tiaram Pontificiam de more ſuſcipiendam) equo vectus è Vaticano ad Lateranum cultu ſanè apparatiſſimo, & pompa penè triumphali ſe conferens, vias omnes, & fora infinita propemodum auri argentique copia ſterni iuſſit: vt videlicet inſigni illo ac planè nouo magnificentiſſimę liberalitatis exemplo ſignificaret, aurea Saturni ſæcula, ſe regnante, eſſe iterum naſcitura. Conferant nunc veteres illi Romanorum Imperatores cum LEONE triumphos ſuos, cum videlicet, laureatis bellatoribus vndique ſtipati, aureo ipſi curru trabeati cum faſcibus, vel Leonibus, vel albis equis vecti, purpura conueſtiri, & gemmeis coronis exornari, ob deuictas prouincias, debellatas nationes immanitate barbaras, imperiumque Populi Romani propagatum, Capitolium glorioſiſſimè conſcendebant. Sileat æquo animo antiquitas Marios, Decios, Nerones, Curios, Metellos, Pompeios, Fabricios, Marcellos, Scipiones, Cæſares ſuos ſi cum LEONE conferendi ſint. Triumpharunt illi quidem egregiè Audd. Sed aureis tantùm curribus vecti ſunt; LEO (quò cunctis glorioſior eſſet) aureas ſibi vias fecit, quas (ad Capitolium gloriæ ſuæ properans) pedibus conculcaret ac tereret, oſtenderetque vnum ſe auro (cui ferè cæteri famulantur) inſignior. imperare. O Regium planè animum, ò Pontificem verè maximum: dignum profectò (non vt de Imperatore illo perhibuit olim grauis author) Imperio niſi imperaſſet, ſed qui ſaltèm diutius in Imperio vixiſſet, qui tàm glorioſè imperauit. Denique (vt vno verbo complectar omnia) quicunque admirabilem eius diei pompam aſpexere, dictum illud repetere iure potuiſſent ab antiquo authore prolatum:

Ex Sidon. Apoll. Ep. 8. lib. 5.

„ *Saturni aurea ſæcla quis requirat?*
„ *Sunt hæc gemmea:*

Sed, non (vt idem aiebat) NERONIANA, verùm planè MEDICEA, hoc eſt liberaliſſima Audd. Egregia nanque illa tui animi celſitas LEO, quid niſi futuræ liberalitatis præſagium fuit? Quàm benè igitur in te conuenit Poetæ illud Anthemio Conſuli dictum?

Ex eodem in Panegyr. ſupra citato.

„ *Facta priorum*
„ *Exuperas Auguſte LEO.*

Nam te, quemadmodum nihil maius antiquitas vidit, ſic magnificentius nihil poſteritas admiratur: quandoquidem tibi, modò:

„ *Nec viget quicquam ſimile aut ſecundum.*

Primum hoc liberalitatis eximiæ ſpecimen vel in ipſo Pontificatus exordio, LEO clementiæ ſingularis exemplo nobilitauit: vt oſtenderet quam dulci nexu colligatus inter ſe virtutibus, nobiliſſimus eius animus ornaretur. Memor etenim quàm propria eſſet LEONIS, quem nomine referret, magnanimitas, & clementia faciendum ſibi putauit, vt Cardinales illi quos IVLIVS II. neci deſtinauerat, non ſolum promeritas pœnas minimè luerent, ſed in priſtinam quoque dignitatem reſtituerentur: Licet Pontificis clementiæ, Patres aliquot è Purpuratorum numero refragarentur, & penitus reclamarent. O prædicandam ſempiternis præconijs tam eximij Pontificis humanitatem, atque ad memoriam poſterorum glorioſam. Didicerat nimirum a Philoſopho ſapientiſſimo quàm magnum, & honeſtum habeatur vindictæ genus ignoſcere, & quàm Principibus honorificum ſit, non minus tardos ad pœnas, quam ad præmia veloces eſſe. Sed à clementię gloria, iterum ad liberalitatem (ad quam planè MEDICEI PRINCIPES facti ſunt) LEO redijt Audd. quam, tametſi aduerſus omnes, potiſsimùm tamen erga litteratos viros, & honeſtas diſciplinas oſtendit: LAVRENTIVM parentem (vt initio dicebam) non ſolum ęmulatus, ſed antiqua Principum, qui litteras liberalitate fouiſſent, exempla ſumma cum laude ſecutus. Quod quidem LEONIS ſtudium erga litteras, & litteratos viros eò laudabilius fuit, quò rarius tunc in Principibus cernebatur; qui vt plurimùm ijs temporibus (ò noſtram hanc ętatem feliciſsimam quę Principum diſciplinarum cultorum non ſolum abundat numero, ſed etiam illuſtratur exemplo) qui vt plurimum,

mum, inquam, fortunæ præſentis aura vel illecti, vel imperij felicitatibus ebrij (proh pudor) tunc verè ſummos ſe arbitrabantur, cum diſciplinas deprimerent, & conculcarent. Cum igitur — naturali vitio fixum radicatumque ſit pectoribus humanis, vt qui non intelligunt artes, non mirentur artifices — quàm diſciplinarum cognitionem habuiſſe dicendus eſt LEO, qui tàm enixè litteras fouit, tàm liberaliter litterarum cultores accepit, & Poetas præ cæteris illuſtrauit? *Sidon. Apoll. lib. 5. Ep. 10.*

Multis diuerſiſque Ciuitas hæc noſtra rerum domina, ſuperioribus illis ſæculis, interdùm vel calamitatibus obruta penè fuit, vel felicitatibus floruit: quemadmodum diuerſa, & planè pugnantia inter ſe Principum ingenia fuere, à quibus tunc regeretur. Gemuit ſub Nerone, qui aurigationi Muſicæque plus nimio deditus, equorum habenas & rexit Imperator, & patriæ Luctuoſum incendium ſiccis oculis videre potuit, quod etiam fatali carmine decantauit ad citharam, vt videlicet cadenti patriæ qui funus paraſſet indigniſſimum, exequias idem faceret funeſtiſſimas. Sub Commodo penè iacuit, qui iaculandi arte cum ſummoperè delectaretur, ſicarios quoſque, vel iaculatores ſi qui eſſent alicuius famę, maximo in pretio habuit, ciuibus frugi, optimiſque Senatoribus infeſtiſſimus. Sub Maximino (ò monſtra ò portenta ſæuiſſima) quę calamitatis argumenta non tulit? Lues iſta mortalium, ſola corporis magnitudine, & vaſtiſſimo virium robore, non æquitate rexit imperium. Sed eadem aliquando ſub Tito reſpirauit, ſub Traiano floruit, ſub Auguſto iterum renaſci viſa eſt; demùm ſub Antonino, qui Philoſophus cognomento dictus, eam planè felicitatem experta eſt, quam Plato ſuæ illi Reipublicæ pollicebatur abſolutiſſimam, cum diceret, tùnc Reſpublicas futuras eſſe felices, cum eas vel à Philoſophis regi contingeret, vel Reges ipſi philoſopharentur. Hanc ergo tàm longa ſæculorum ſerie, tot bellorum turbinibus atque incendijs interruptam felicitatem, vt iterùm ROMA experiretur, vnus LEO tùm potuit efficere, cum primùm imperij tui gubernaculis admotus, non ſolum omnibus formidatos armorum ſtrepitus, quibus vndique circumtonabas compoſuit, bellorum incendia reſtinxit, te tibi reſtituit, ſed (vt antiquis oneribus te ſubleuaret) vectigalia quoque aliqua ſuſtulit. Quod cauſæ fuit, vt Ciues noſtri, qui gratiſſimi ſemper fuerunt, marmoream illi ſtatuam in CAPITOLIO ponerent cum ſubiecto elogio.

Optimi liberaliſsimique Pontificis memoriæ. S. P. Q. R.

Et verè talem in reliquo Pontificatu ſe præbuit LEO, qualem vel nunquam anteacta vidit ætas, vel conſecuta rarò non deſiderauit. Cui enim vnquam è tot Principibus ſuis diuturniorem vitam Roma precata eſt? Intelliget hoc quiſquis aurea illa carmina repetet LEONI tunc inſcripta, quæ eiuſmodi voluntatis, teſtimonia fuerunt ampliſſima.

„ *Vota Deum LEO, vt abſoluas hominumque ſecundes*
„ *Viue piè vt ſolitus, viue diù vt meritus.*

Quid ſalutarius, quid glorioſius Romanus olim Populus Traiano vel ipſi Auguſto precari potuiſſet, quos incredibili amore proſecutum fuiſſe teſtatur antiquitas? Nullum profectò boni principis indicium apertius eſſe poteſt, quam cum de illius incolumitate, populus anxius & ſollicitus eſſe cernitur, cumque ſalus illius, commune omnium votum eſt. Quam ſanè felicitatem poſt multas ætates vni iterum contigiſſe LEONI quis neget, cum ſciat illum mirificè adeò fuiſſe ab omnibus adamatum, & in eum ſic virtutum omnium ornamenta confluxiſſe, vt meritò humani generis deliciæ diceretur? Nam quis vnquam humanitate LEONEM ſuperauit, quo nihil vnquã humanius fuit? Næ, ille ſemper erga omnes tanta morum facilitate viſus eſt, adeò ſe cunctis comem præbuit, vt, cum nullam timoris cauſam homo bonitate affluens, & (vt ita dicam) immoderatè officioſus haberet, id vnum timeret ne timeretur. Tunc enimuerò facilè intellexerunt omnes, quam falsò pronunciatum olim fuiſſet á Poeta nobili.

„ *Non benè conueniunt, nec in vna ſede morantur*
„ *Maieſtas, & Amor.*

cum LEONEM ROMANVM PONTIFICEM (quo quid excogitari ſublimius poteſt?) humanum adeò experirentur, vt eius maieſtati nihil officeret humanitas, comitati nihil aduerſaretur, dulcis quædam ac principe digna ſeueritas. Sed nihil iſta in LEONE fuerunt, præ ingenti (quo ſemper erga bonas litteras flagrauit) amore. Scitum enim eſt, quot olim viros litterarum laudibus inſignes, ad Cardinalatus honorem euexerit: quot eruditos è diuerſis terræ finibus Romam euocauerit: quàm grandia, quam liberalia doctis hominibus) qui in amplo hoc litterarum theatro diſciplinas profiterentur) ſtipendia propoſuerit: quot ſumptus in ipſa harum ædium inſtauratione fecerit: quos prouentus addixerit, quibus hodieque locus iſte celeberrimus fruitur: quam familiariter litteratorum colloquijs, & congreſſibus vſus ſit: quam cumulatè Poetas beneficijs ditauerit: quam denique vniuerſam litterarum Rempublicam penè collapſam, proſtratam, euerſam, egregiè reſtituerit, ornauerit, auxerit. Et ſane magnam rerum huiuſmodi pulcherrimarum partem vt efficeret, exemplo LEONI fuit LAVRENTII parentis eximia in viros doctos liberalitas. Recordabatur quippe, cum adoleſcens eſſet, quid in rebus iſtiuſmodi LAVRENTIVS parens egiſſet, à quo non ſolum Græciæ ferè vniuerſæ viri doctrina præſtantiores Turcarum armis pulſi, ab eo in Italia recepti, ſed etiam in amore atque in delicijs habiti fuerant. Inter quos Demetrius Chalcondyles Grammaticus ille nobiliſſimus fuit, à quo LAVRENTIVS Florentinam iuuentutem græcas edoceri litteras voluit. Nec ignorabat quàm honorificè quoque ab eodem LAVRENTIO Ioannes Laſcares è Græcia profugus habitus fuiſſet, quem bis legationis titulo Byzantium ad Baiazetem Turcarum Imperatorem miſiſſet ad conquirenda volumina, quibus bibliothecam illam celeberrimam, quam tùm fortè inſtituebat, exornaret. Sciebat demùm multos poſt annos, eandem bibliothecam abſolutam iam & perfectam, HERMOLAO BARBARO viro nõ minus nobilitate quã doctrina clariſſimo (qui tùm per Italiam VENETAE Reipublicæ nomine Legationes obiret, quemque Florentiæ in Caiana Villa magnificẽtiſſima, MEDICEA planè literalitate LAVRENTIVS excepiſſet) ab eodem parente LAVRENTIO oblatam dono vna cum villa ipſa fuiſſe, vt inibi cum PICO ſuo HERMOLAVS litteris & Muſis vacare poſſet. Quæ quidem paternę liberalitatis exempla, ita LEONIS animo obuerſabantur, vt (cum parentem æmulari vnaquaque in re, & longè etiam antecellere decreuiſſet) mirari minimè debeamus, ſi litteratis viris deindè ſic impensè fauerit LEO, vt omnium quorumque Principum gloriam, vel æquauerit, vel obſcurauerit. Petrus ille Bembus, & Iacobus Sadoletus (duo Italię noſtræ litterarum lumina longè clariſſima) non habeo neceſſe pluribus referre, quam vnicè à LEONE dilecti ſint. Illud tamùm ignoretis nolim, vtrumque ſecretariatus honore fuiſſe à LEONE inſignitum. O ſummam Principis prudentiam; ò animi virtutem ſingularem, quæ ſciret quantùm Reipublicæ interſit, eos ſibi adminiſtros eligere, à quibus (ſi res aliquando ità poſtulet) poſſit & conſilio iuuari, & eloquentia defendi. Hos (quod à LEONE munere tam eximio digni habiti fuiſſent) conſequentibus annis PAVLVS TERTIVS ſempiterna memoria digniſſimus, inter Cardinales retulit Audd. Præter hos quoque Dionyſium Aragazium Præſulem ornatiſſimum, virum ingenio præſtantem, multiplici diſciplinarum cognitione ſingularem, atque inter Politianos ciues primariæ nobilitatis mirum in modum dilexit, qui cum LEO familiariter admodùm vixit, quemque in omni fortuna fidiſſimum ſibi ſemper expertus eſt. Cuius exemplum erga MEDICEOS PRINCIPES, ex eadem Aragaziorum familia deinceps imitati ſunt omnes, ac præ cæteris hodieque imitatur, qui in Romana hac Aula honorificè verſatur LVDOVICVS, SERENISSIMAE huic FAMILIAE ſupra modum addictiſſimus. Sed quot olim viros & doctrina praſtantes, & ſanctitate conſpicuos, & ſanguinis claritate præclaros LEO ad ſacram purpuram extulit Audd? Teſtis memorabilis illa Cardinalium renunciatio, qua nulla vnquam ſiue numero, ſiue virorum meritis glorioſior fuit, cum vna die, triginta, & vno, Sacrum Senatũ Cardinalibus auxit. Inter quos POMPEIVS ille COLVMNA Romanorum Procerum nobiliſſimus fuit, qui non minus ingenio

Ex Petro Crinito de honeſta diſcip. lib. 15. cap. IX.

genio quam generis claritate, & doctrina præcellens, tandem Neapolitanum Regni Proregis titulo egregiè moderatus est. Quid de Ioanne Baptiſta Pallauicino Genuenſi dicam, quem Cardinalem vna cum Pompeio renunciauit? Quam vario fuit vir iſte virtutum genere cumulatus? Quot muneribus perhonorificis in vna quaque fortuna laudatè perfunctus eſt? Sanè tam eximia Iuris prudentiæ gloria clanuit Audd. vt eius ingenium, Apex ille Iuriſconſultorum Decius Mediolanenſis, ſuis in operibus quæſitiſſimis laudibus extulerit. Denique quid Thomam illum de Vio Caietanum commemorabo, quo nullum vnquam poſt Diuum Thomam Aquinatem protulit Italia Theologum præſtantiorem? Non ne virum hunc admirabilem LEO Cardinalem fecit? O Principem verè vnicum & litteratorum amantiſſimum. Quid poterat ab eo iuſtius, quid agi præclarius, quam virtutem ipſam ſic exornare, ſic illuſtrare? HADRIANVM vero VI. viri ſine controuerſia Sanctiſſimi doctiſſimiq; qui LEONI ſucceſſit, ſine piaculo tacitus præterire non poſſum Audd. Hunc (licet ingens locorum diſtantia à LEONIS aſpectu ſemoueret, eius tamen vitæ Sanctimonia, & doctrina LEONI præſentem adeò faciebant vt purpuratos eum inter Patres adſcribere non ſit veritus. Hæc igitur honorum ornamenta, quæ in viros olim litteratiſſimos LEO contulit, quiſquis memoria repetet, deſinet, opinor, admirari tantopere Auguſtum, quem Præfectura decoraſſe Cornelium Gallum Poetam: Domitianum, quem ad tertium conſulatum euexiſſe Statium & Silium: Gratianum Cæſarem, quem Conſulem Auſonium creauiſſe teſtantur hiſtoriæ. Eos quippe dignitatibus cumulare quibus cum familiariter viuas, magnum quidem amoris argumentum eſt; at illos, quos nunquam videris, ſummę proxima dignitate decorare, hoc demum profuſiſſimę voluntatis erga virtutem indicium eſt. Quod in Hadriano admirati ſunt omnes, quem, cum nec de facie quidem LEO vnquam vidiſſet, tamen poſt eius obitum Pontificem iam renunciatum, ad hanc Vrbem ſummis cunctorum acclamationibus appuliſſe, tandem aliquando conſpexerunt. Hęc itaque tam inſignium Cardinalium promotio, non Romanæ Vrbis modò, ſed omnium ferè populorum beneuolentiam LEONI adeò conciliauit, vt innumerabiles penè fuerint, qui cum varia diſciplinarum genera profiterentur, Romam continuò è diuerſis quùm Italię, tùm aliarum Prouinciarum partibus ſe contulerint, quò Pontificię liberalitatis (cuius fama iam vbique locorum percrebuiſſet) periculum facerent: & nullus quidem fuit, qui LEONIS liberalitatem erga ſe, fama maiorem non experiretur. Quod potiſſimùm Marco illi Muſuro Cretenſi viro doctiſſimo contigit, qui eandem ob cauſam Romam cum veniſſet, Archiepiſcopus Epidaurenſis factus eſt. Sed licet tot Imperij curis, tot Romanæ Eccleſiæ grauiſſimis difficillimiſque muneribus occuparetur LEO, dictu tamen incredibile eſt, quantum bonis litteris deditus eſſet. Philippum nanque Macedonum Regem, & Africanum Scipionem imitabatur, qui licet bellorum difficultatibus impediti, ille tamen à ſtudijs nunquam recedebat, hic Ciri Pædiam nunquam de manibus deponebat. Olim apud Gręcos illud in more poſitum fuit, vt Gymnaſticę Muſicam admiſcerent; quò nimirum, vnius diſciplinæ nimiam aſperitatem, alterius ſuauitate temperarent. Horum exemplum (licet in re diſſimili) LEO ſequebatur Audd. cui (ad relaxandum à ſerijs Chriſtianę Reipublicæ negocijs animum) ſolemne illud ac planè vſitatum fuit, vt, & feſtiuiſſimis Poetarum colloquijs intereſſet, & ipſa carminum ſuauitate, moleſtias & curas amariores animi deliniret. Quin immò (vt erat ingenio præditus admirabili) non ſolum quicquid ocij conſequeretur, Poetarum optimis quibuſque percurrendis conſumebat, ſed etiam in ſcribendis pangendiſque carminibus occupabat. Quæ quidem culta adeò, adeò lepida ex eius ingenio fluebant, vt nullus ea ſine admiratione perlegeret, cum eiuſmodi eſſent de quibus difficile iudicaſſes, plus mellis an ſalis haberent. Ex quo illud præterea oriebatur, vt geminata felicitate LEONIS ingenium conſpicuum eſſet, quando nec æquale nec æmulum inueniebat. Sed non minus carminum componendorum delectatione tenebatur LEO, quam ipſa ſcriptorum lectione, quę auidiſſimi illius animi pabulum erat iucundiſſimum. Nam præterquam quod hiſtorias om-

nes Græcas & latinas optimè nouerat, Marcum Tullium numquam è manibus dimittebat, cuius eloquentiam ſummoperè admirabatur.

Sidon. Apoll. in Panegyr. Anthemij Auguſti.

„ *Præterea quicquid latialibus indere libris*
„ *Priſca ætas ſtuduit, totum percurrere ſuetus.*
„ *Mantua quâ acies pelagique pericula luſit*
„ *Smyrnæas imitata tubas*
„ *Vel quicquid in anum*
„ *Mittunt Euganeis Patauina volumina cartis.*
„ *Qua Criſpus breuitate placet, quo pondere Varro*
„ *Quo genio Plautus, quo fulmine Quintilianus,*
„ *Qua pompa Tacitus nunquam ſine laude loquendus.*

Hæc igitur ocia LEONIS erant Audd. quibus nil niſi litteras excolebat. Nam cur olim è ſua illa Republica Plato Muſarum parentes Homerum, & Heſiodum excluſiſſet, & hunc fortaſſe Romana Reſpublica exordio Imperij ſui ſecuta, Poetas ab Vrbe proſcriptione ſeueriſſima eieciſſet, ſanè non videbat LEO; quandoquidem Muſæ mortalium animis, tantam adferunt cum delectatione coniunctam vtilitatem. Itaque vna illa in re, à Platone licet alioqui ſapientiſſimo, recedendum ſibi putauit: & cum ſciret Poetas olim apud ſummos Principes, magno in honore fuiſſe, eoſdem (quod demùm præſtitit) ſibi quoque honoribus cumulandos exiſtimauit. Etenim memoria identidem repetebat, Scipionem Africanum ducem bello praſtantiſſimum ſemper Ennium Poetam, Comitem ſecum habere voluiſſe: Sciebat ab Alexandro Homeri carmina inter pretioſiſſima Darij ſpolia fuiſſe repoſita, & eundem, quum Thebas euerteret, Pindari Vatis ædibus pepercisſe: Sciebat ab Archelao Macedonum Rege Euripidem Poetam ſummoperè fuiſſe adamatum: nec ignorabat Auguſtum ipſum, Virgilium, & Horatium mirificè dilexiſſe, & Mœcenatem præter hos, Tibullum quoque Romanum Equitem, & Poetam coluiſſe: Robertum denique Siciliæ Regem, & COLVMNENSES Ciuitatis noſtræ lumina clariſſima, Franciſcum Petrarcam Florentinum Etruſcorum Poetarum apud nos ſine controuerſia Principem, propter eius in carmine præſtātiā Romano in Capitolio Appollinari Laurea donandū curauiſſe. Quæ quidē maximorū Principū exēpla LEONI fuerunt incitamenta, vt Muſas, & Muſarum cultores toto animo complecteretur: à quibus viciſſim tot præconijs celebratus eſt, vt illud per Vrbem glorioſè de eo audiretur à Muſis ipſis decantatum elogiū.

„ *Olim habuit Cypris ſua tempora, tempora Manors*
„ *Olim habuit, ſua nunc tempora Pallas habet:*

O Principem meritò maximnm. O LEONEM MEDICEAE FAMILIAE decus, & lumen immortale. Iure LEO te regnante Pallas imperauit, qui ferream illam ætatem, tua liberalitate, tuiſque virtutibus auream reddere potuiſti. Denique, vt poſtremam erga diſciplinas, & bonas artes voluntatem ſuam teſtaretur, hoc legum domicilium, curiam dignitatum, litterariū Gymnaſiū, Romanæ ſapientiæ Theatrū quod penitus interierat, reſtituit, & virtuti iterum inaugurauit Audd? Et ſanè, hoc vnum deerat adhuc LEONIS gloriæ, vt (cum litteratos viros ſemper coluiſſet) amoris ſui erga litteras teſtimonium ad extremùm perenne relinqueret, & nunquam interiturum. Quod, vt viris in vno quoque diſciplinarum genere præſtantiſſimis cohoneſtaret, quos nam, Deus immortalis, ex vniuerſa Italia homines inſignitè claros Romam euocauit? Quos prouentus iiſdem in ſingulos annos addixit? Baſilium in primis Chalcondylem Demetrij illius filium græcè doctiſſimum, vt in Romano Gymnaſio græcas litteras profiteretur, acciuit; & Ioannem Laſcarem (quem LAVRENTIVS parens bibliothecæ abſoluendæ ſtudio bis ad Bajazetem miſerat) ad ſe vocatum, mirificè beneficijs ornauit. Auguſtinus Niphus Sueſſanus Ariſtotelis Philoſophiam interpretabatur: Chriſtophorus Aretinus Medicinam profitebatur: Hieronymus Butigella Papienſis diuini humaniq; iuris conſultiſſimus legum ſtudijs præerat: humaniores litteras Ianus ille Parrhaſius Coſentinus edocebat. O viros fama nominis immortales, doctrinæque præſtantia glorioſiſſimos. Sit olim Carolus ille

Magnus

Magnus Pariſijs litterarum Gymnaſium inſtituit, ſic idem in Italia Papię celeberrimum excitauit: Sic Ferdinandus Neapolitanorum Rex inclytus diſciplinis olim fauit, quibus etiam gymnaſium erexit: Sic Ptolemæus Alexandriæ Rex, Gręciæ doctiſſimos quoſque Alexandriam accerſiuit: Sic denique flauius Veſpeſianus omnium primus Romę Græcis latiniſque Rhetoribus, ad litterarum propagationem, annuos cenſus conſtituit. Hæc itaque LEO tam eximia erga litteras tuę voluntatis argumenta, dum animo identidem reputo, facere non poſſum, quin de te cum Lyrico exclamem.

„ *O quà ſol habitabiles*

„ *Illuſtrat oras maxime principum.*

Et ſanè, iurè te Roma delicias humani generis appellauit, qui Muſarum cura communis, litteratorum amor, litterarum lumen, votum bonorum omnium, tuorum temporum abſoluta felicitas, patriæ lux, ſplendor familiæ, dignitatis ornamentum, ſeculi tui gloria, tui ipſius nominis decus extitiſti: dignus profectò, quem vnum omnes admirarentur, qui plus oculis amareris, quique meritò conſulereris ab omnibus, quando tàm admirabili præditus ingenio eras, tàm dulci morum comitate dotatus, tam eximiæ prudentiæ lumine decoratus. Quò fit, vt, dum ea quæ præclarè geſſiſti memoria repetimus, dum virtutes tuas admiramur, dum te intuemur, perfecti Pontificis ſimulacrum intueamur. Ea nanque in te LEO confluxere quæ in optimis principibus, & ſi rarò cernuntur, certè ſemper optantur.. Quis te ſecundis rebus moderatione vnquam vicit? Quis in aduerſis fortitudine animi ſuperauit? Quis te in vtraque fortuna præſtantior fuit? Cernimus modò ampliſſima tuę liberalitatis veſtigia, quibus Alexandri gloriam obſcurare Princeps optime potuiſti. Admirabitur omnis ætas exempla illa clariſſima clementiæ tuæ, quibus (vel ipſum Cæſarem æmulatus) ſempiternam tibi nominis memoriam apud poſteros propagaſti. Recordabitur æternùm Vrbs hæc terrarum Regina gentiumque atque in frequentiſſima hac nobiliſſimorum Procerum Panegyri quotannis, eximij laudibus recolet, tuæ illius erga litteras voluntatis argumenta prorſus inaudita, quibus (te Principe) Auguſtum ſuum deſiderare deſijt. Denique nunquam omnes quotquot ſunt eruntque poſt, non ſuſpicient LEO, virtutes illas tuas admirabiles, quibus dum ſęculo prędicatus es tuo, nunc noſtro deſideraris. Itaque præconia hæc quæ tuis à me hodierna luce meritis exoluuntur, rerum abs te præclarè geſtarum non præmia, ſed teſtimonia ſunt. Sed ò quàm graue damnum, quam iacturam bonæ litteræ feciſtis, cum LEONEM parentem veſtrum extinctum acerbiſſimè deploraſtis. Nullus vnquam vobis funeſtus magis ac luctuoſus illuxit dies, quam qui LEONI poſtremus fuit. Quæ nam illa die, vidiſtis funera Muſæ mœſtiſſimæ, qui tunc ſenſus fuit veſtrorum animorum cum vos LEO lumen veſtrum, in luctu, & tenebris, in ſqualore ac lacrymis ſempiternis reliquit? O LEO Muſarum æternus dolor, quas è media barbarie, è medijs armorum furoribus in Romanum hoc Cœlum eduxiſti, vt è Pindi Parnaſſique iugis turpiter deiectæ, per te glorioſius in Capitolio triumpharent. Hinc illud de te LEO, non hominum modò, ſed Muſarum tuum funus miſerabiliter deplorantium per attam hanc Vrbem lugubre carmen auditum eſt.

„ *Deliciæ humani generis, LEO MAXIME, tecum*

„ *Vt ſimul illuxere, interiere ſimul.*

Quis dolorem veſtrum afflictæ Virgines ea die lenire potuiſſet, cum ſqualore obſitæ: paſſis crinibus, deiectiſque in terram oculis, illud identidem clamaretis.

„ *Quis deſiderio ſit pudor, aut modus*

„ *Tam cari capitis?*

Grauiſſimum ſanè vobis prematurus LEONIS interitus vulnus inflixit: nec Auguſto, aut Mœcenate olim extinctis, acerbiorem, opinor, animo dolorem cepiſtis.

„ *Multis ille quidem flebilis occidit,*

Sed nulli flebilior quam vobis, quas, vbique terrarum profugas, ſuo excepit in ſinu amanter fouit, beneficijs ingentibus auxit, illuſtrauit. Quando igitur.

„ *Quan-*

„ *Quando vllum inueniet parem*

LEO veſter ? Quò (ſi fas eſſet cum Lyrico loqui) quo (inquam)

„ *Nihil maius, meliuſue terris*
„ *Fata donauere , bonique Diui*
„ *Nec dabunt, quamuis redeant in aurum*
„ *Tempora priſcum .*

Vni igitur tibi LEO peculiaris laus iſta fuerit, quod tuum funus non minus diſciplinarum omnium, quam ipſę Muſarum lacrymę decorauerint . Achilles , & Hector felices habiti ſunt quod, illi quidem, parentauerit Alexander, huic verò Iulius Cęſar. At vtroque ſemper fortunatior eris L E O, nam tibi ęternùm gloria ipſa parentabit. Deceſſiſti tu quidem,ſed plenus honoribus,& amore omnium deceſſiſti,omnique poſteritati acerbiſſimum reliquiſti deſiderium tui . De Auguſto (quem Romanus Populus vnicè dilexit) dictum olim fuit , eum vel nunquam naſci , vel nunquam mori debuiſſe . Vt idem de te modò repetere poſsimus L E O , facit tua illa erga litteras profuſa benignitas, humanitas ſingularis , liberalitas inaudita , qua poſterorum omnium animos mirè tibi deuinxiſti . Quamobrem , quemadmodum antiquis illi temporibus, cum benè Romanis Principibus quis precaretur, illud vſurpabat SIS TRAIANO MELIOR SIS AVGVSTO FELICIOR, ſic, eximijs tuis virtutibus excitatus , Romanis Pontificibus, quicunque benè erit in poſterum precaturus, non aliud, opinor, vſurpabit quam hoc . SIS LEONE MELIOR, SIS LEONE FELICIOR.

A. M. D. C.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE